

„tuus sit, tunc putare, aut idem, recusationem posse inci-  
„ mari *Procuratori Nominati* vel illi cui directe sunt litem,  
„ ræ, forte etiam possit eo casu recusatio intimari *Protectori*  
„ Galliarum, vel alteri *negotia Regis Romæ gerenti*, vel al-  
„ teri *solicitatori* prosequenti hanc nominationem.

Imò juxta stilum hodiernum, Rex tres litteras Romam  
pro expeditione ac prosecutione Nominationis mittit. U-  
nam ad Pontificem, alteram ad suum Legatum Romæ resi-  
dente, & tertiam ad Cardinalem Protectorem Regni Fran-  
ciæ; qui etiam in Consistorio negotium illud proponit ac  
refert; ut titulo sequenti dicitur.

Porro hæc *recusationis intimatio* nequaquam fieri de-  
bet *consistorialiter*, ut nonnulli ex verbis concordati con-  
cludere voluerunt, sed *recusatio* tantum *consistorialiter*, sive  
in *Consistorio* concludenda est, quemadmodum observat &  
probat Rebuffus loco citato, verbo *Consistorialiter*.

IX. Porro eâ temporis limitatione per Concordata  
præfixâ, nec Rex Catholicus, nec alii Principes Concordati  
hæc non comprehensi constringuntur; quinimò Regi-  
bus Hispanicis non currit tempus *quatuor mensium*, quod  
de jure omnibus Patronis laicis præscriptum est; etiam si  
*sciat* Rex vacationem; idque ex legitima præscriptione,  
quæ omnes Reges Hispanicis *uti sunt*, ait Garcia *De bene-*  
*ficiis parte 10 cap. 2. n. 34.* „ed quod impediti multis oc-  
„ cupationibus tam in bello, quam in pace, non possint in-  
„ tra illud tempus præsentare. Et ita *semper præsentari vi-*  
*demus*, cum Rege enim non curatur de tempore & ter-  
„ mino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quam in a-  
„ liis præsentationibus.

X. Præscribitur præterea in sæpe dicto Concordato,  
quod de Ecclesiis per *obitum* apud *Sedem* Apostolicam va-  
cantibus, semper, etiam nullâ Regis præcedente Nomi-  
natione, libere per *Pontificem* provideri possit.

„Tunc dicitur *apud Sedem* vacare (ait Rebuffus in ver-  
„ bo, *Apud Sedem*) etiam in locis vicinis per *duas decas*  
„ moriatur, sive ibi occasione *Curie* moraretur, sive *aliâ*  
„ causa apud *Sedem* prædictam esset.

Restringitur autem vacatio hæc ad vacationem *per obi-*  
*tum*; ideoque si per resignationem aliove modo apud *Sedem*  
vacare contingerit, Pontifex providere non poterit, nisi  
præviâ Nominatione, aut saltem præviâ Regis consensu, uti  
notat Rebuffus verbo, *Per obitum*; & latius prosequitur  
Fevretius *lib. 2. De abusu cap. 7. n. 11.*

XI. „Possit etiam Rex Franciæ (inquit Rebuffus ibi-  
„ dem verbo, *Provideri possit*) in hoc casu quando vacat  
„ per obitum in curia, contra provisum per Papam se oppo-  
„ nere & excipere, si timeret de *conjuratiōe*, seu *proditio-*  
*ne patriæ*, seu revelatione *secretorum* suorum ratione pa-  
„ triæ, unde provisum est oriundus, vel propter parentes suos,  
„ qui semper Regi fuerunt infesti, & tunc esset audiendus,  
„ quia satis prosequitur interesse proprium.

XII. Denique vi Concordatorum, Regia Nominatione  
ad Romanum Pontificem deferenda est; à quo solo provi-  
soria seu confirmatoria diplomata concedi possunt; quod  
hodie etiam in aliorum quoruncumque Regum ac Prin-  
cipum Nominatione; quin & in Electione quæ vi Concor-  
datorum Germaniæ sit, ubique obtinet; idque contra pri-  
stinam, ac etiam jure Decretalium stabilitam Ecclesiæ disci-  
plinam, quæ Episcoporum confirmationem, vel Conciliis  
Provincialibus, vel Metropolitanis deferbat, uti latius titulo  
sequenti exponetur.

XIII. Si quæ præterea speciales condiciones in Concor-  
datis, aut Indultis vel privilegiis, quibus Regibus & Prin-  
cipibus jus nominandi conceitum est, fuerint expressæ & ac-  
ceptæ, hæc indubie juxta tenorem expressum servandæ  
sunt, præter illa, quæ ipsa ratio & divina lex omnibus, qui-  
bus jus nominandi aut eligendi Ministros Ecclesiæ competit,  
servandæ præscribit.

## CAPUT V.

Quædam circa Electionem, & Nominationem  
Episcoporum invariata manent.

- 1 *Qui ad Electionem & Nominationem concurrant, tenentur bonum Ecclesiæ præ oculis habere.*
- 2 *Patroni etiam laici visui juris Ecclesiæ Ministros designant.*
- 3 *In distributione beneficiorum committitur acceptatio personarum, dum ex humano respectu minus dignus digniori præponitur.*
- 4 *Probat autem auctoritate S. Thomæ.*
- 5 *In promotione ad Episcopatum acceptio personarum est græve peccatum.*
- 6 *Nominationem Episcoporum recusavit Valentianus Imperator: & quare?*
- 7 *Ludovicus VI, Galliarum Rex noluit acceptare Privilegium conferendi munia Ecclesiastica.*
- 8 *Idem fecit S. Ludovicus.*
- 9 *Quam sollicitus hic fuerit, ut digni ad munia Ecclesiæ promoverentur.*
- 10 *Qui in Nominatione ad Episcopatum non multum sunt soluti de qualitatibus promovendorum, convincuntur non satis estimare pretium animarum.*
- 11 *Ab Episcopatu repellendi ambientes.*
- 12 *Præviâ ad Nominationem diligens instituenda inquisitio.*
- 13 *Pro obtinendo bono Pastore, tum publicæ, tum private precibus instituenda.*
- 14 *Quomodo ad has populus excitandus?*



ria fuisse circa personas eligentes aut ad  
electionem concurrentes disciplinam, & ele-  
ctionis formam, ex historicis & factis Cano-  
nibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis in  
præcedentibus sufficienter est ostensum.

I. Verum quæcumque in his potuerit pro ratione tem-  
porum aut locorum intervenire mutatio, illud semper man-  
sit, & manebit immutabile, ac invariabile, quod quicum-  
que sive Clerici sive Laici; seu Reges, seu populus ad Ele-  
ctionem vel Nominationem concurrant, teneantur in Ele-  
ctione sive Nominatione bonum Ecclesiæ, cui Pastor præfi-  
ciendus est, præ oculis habere.

II. Indubitatum quippe est, quod etiam Reges alique  
Patroni laici vigore juris patronatus, aut indulti vel alterius  
tituli ad Episcopatum cæteraque Ecclesiastica beneficia nomi-  
nantes aut præsentantes, vi illius Ecclesiæ Ministros de-  
signant, atque Ecclesiastica munia distribuunt.

III. Certum autem est, in distributione beneficiorum  
seu officiorum Ecclesiæ eam qualitatem personæ atten-  
dendam esse, quæ personam magis idoneam aut utilem  
ad ministrandum & serviendum Ecclesiæ ostendit; id est,  
attendendam esse qualitatem, quæ ad bonum Ecclesiæ  
facit.

Hinc ulterius consequitur, quod quicumque ad beneficia  
nominant, vitium acceptionis incurrant, ipsamque justitiam  
distributivam lædant, si ex humano aliquo respectu, & in-  
tuitu qualitatibus personæ aut motivi, quæ nullatenus Ecclesiæ  
utilitatem respiciunt, nec personam Ministerio, ad quod eli-  
gitur, digniorem reddat, ad nominandum aliquem minus  
dignum, relicto digniore, moveantur.

IV. „Si potest haberi aliquis magis idoneus, ait Sanctus  
„ Thomas 2. 2. *quest. 63. art. 2. ad 3.* erga aliquam digni-  
„ tatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter  
„ aliquam causam: quæ quidem si pertinet ad negotium,  
„ quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si ve-  
„ rò non pertinet ad negotium id quod consideratur ut  
„ causa, erit manifeste acceptio personarum.

V. Nec

## Tit. XIII. De Electione &amp; Nominat. Episcoporum. Cap. V. 85

V. „Nec sanè quantum arbitror, inquit S. Augustinus  
„ *epist. 54* putandum est, leve esse peccatum in persona-  
„ rum acceptione habere fidem Domini nostri JESU  
„ CHRISTI; si illam distantiam sedendi & standi ad ho-  
„ nores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi  
„ divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupe-  
„ re instructiore atque sanctiore?

Si hoc generatim de honoribus Ecclesiasticis putaverit  
Augustinus, quid non censendum, si hæc personarum ac-  
ceptio ad Episcopatum referatur? Nam, ut merito monue-  
runt Patres Tridentini *Sess. 24. cap. 1. De reform.* „Si in  
„ quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterq;  
„ cavendum est, ut in domo Domini nihil sit inordina-  
„ tum, nihilq; præposterum: multo magis elaborandum  
„ est, ut in Electione ejus, qui supra omnes gradus con-  
„ stituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini sta-  
„ tus & ordo mutabit, si quod requiritur in corpore, non  
„ inveniatur in capite.

Ac deinde tamquam ex prædictis consequens subjun-  
git: „Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præfi-  
„ ciendorum quocumq; jus quacumque ratione à Sede  
„ Apost. habent, aut alioquin operam suam præstant; ni-  
„ hil in iis pro præsentii temporum ratione innovando,  
„ hortatur & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad  
„ Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere,  
„ quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ ido-  
„ neos promovere studeant, eosq; alienis peccatis com-  
„ municantes mortaliter peccare, nisi quos digniores &  
„ Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem præ-  
„ cibus, vel humano affectu, aut ambientiu suggestionibus,  
„ sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter cura-  
„ verint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ,  
„ ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præ-  
„ ditos sciant, quæ juxta Sacros Canones, & Tridentinæ  
„ hujus Synodi decreta requiruntur.

VI. Hoc periculum in Electione seu Nominatione ad  
Ecclesiæ Ministeria, præsertim Episcopatus, expendens  
Valentinianus Imperator, ad Eligendum Mediolanen-  
sem Episcopum Synodum Episcoporum quidem conve-  
nire iussit; eosque exhortatus est, ut talem eligerent Ep-  
iscopum, qui non solo verbo, sed etiam conversatione gu-  
bernet subiectos, & totius semetipsum imitationem virtutis  
ostendat, restemque doctrinâ conversationem bonam  
habeat; at cum Synodus petisset, ut magis ipse decerne-  
ret eligendum sapiens & pius, mox respondit: *Supra nos  
est talis Electio. Vos enim gratiâ divinâ potiti, & splendo-  
re fulgentes, melius poteritis eligere.* Apud Gratianum  
*Dist. 63. Can. 3.*

VII. De Ludovico VI Galliarum Rege refertur: „Re-  
„ verſus de Hierosolymitana contra Saracenos expe-  
„ ditione, cum quidam Clericus Româ Papale quoddam  
„ privilegium attulisset, quo in omni Ecclesia Cathæ-  
„ drali sui regni jus conferendi cui vellet primam va-  
„ caturam cum cunctis fructibus medio tempore prove-  
„ nientibus consequeretur, confestim combussit litteras,  
„ dicens: „Malo illas hic comburere, quam si propter illas  
„ in inferno comburerer. Thomas Walsingham in hypodigm.  
Neultrix.

VIII. Scribit Broymarus Cancellarius S. Ludovici  
Galliarum Regis in ejus vitâ: „cum ei instituendi Pastro-  
„ res à Pontifice potestas facta esset, ad id quæ diploma le-  
„ gatus Româ rediens attulisset: quod mea, inquit, Ro-  
„ mæ negotia strenuè obieris, laudo: quod mihi à Pon-  
„ tifice munus hoc retuleris, non probo. Intellego enim  
„ quanto cum periculo anima mea & regni id susciperem,  
„ ac protinus diploma in ignem projecit.

IX. Quam verò ipse sollicitus esset, ut optimè in Ec-  
clesiæ bonum de Beneficiis ad suam Nominationem spe-  
ctantibus, provideretur, exponit Nangius in ejus vitâ  
*pag. 369.* „Sanè in Beneficiis conferendis, quæ ad pa-  
„ tronatum, sive donationem ipsius pertinebant, Deum  
„ semper præ oculis habebat, & Electis & probatis perso-

Van Espen Jur. Eccles. P. 1.

nis, quantum poterat, conferebat. Quas personas eligi  
„ & inquiri faciebat per Cancellarium Parisiensem & a-  
„ hos bonos viros.

X. Et profecto Principes eorumque Ministri, qui in  
nominatione ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim Epi-  
scopatus, unde salus unius integræ Diocesis magna ex  
parte dependet, solliciti non sunt, ut capaciosiores ac dignio-  
res promoveantur, convincuntur non estimare pretium  
Animarum, Divinitus enim jam pridem dixit Hormisdas  
Papa *Epist. 25. cap. 1.* „Estimet quis pretium Domini-  
„ ci Gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat  
„ esse Pastoris.

XI. Sed pro dolor frequenter amplius inquirunt,  
magisque anxii sunt, ut fidelem ac expertem constituant  
civitatis alicujus aut castri Rectorem aut Gubernatorem,  
cui salus & conservatio temporalis concedatur, quam  
quis constituatur Civitatis aut Diocesis Episcopus, cui  
tot animarum æterna salus committitur: non raro hîc  
vix aliud considerantes, quam quis pluribus commen-  
dationibus, ne dicam muneribus & obsequiis sit instructus.

Utinam hi expendere illud nunquam satis expen-  
dendum Imperatorum in *L. 31. Cod. De Episcopis &  
Clericis*: „Tantum ab ambitu debet esse sepultus (or-  
„ dinandus Episcopus) ut quaratur cogendus, cogatus re-  
„ cedat, invitatus effugiat, sola ei suffragetur necessitas ex-  
„ cu sandi. Profecto indignum est Sacerdotio, nisi fuerit  
„ ordinatus invitum.

XII. Laudandum ergo fuit Decretum Regis Galliæ in  
Comitiis Blesensibus promulgatum, ne Nominatione Re-  
gia ad Episcopatum fieret ante mensem à vacatione, ut  
maturius de persona Nominandâ deliberari ac inquiri  
posset.

Quam hæc inquisitio necessaria sit, & quomodo nul-  
latenus excusentur prætextu ignorantie, si omisâ sedulâ  
ac studiosâ inquisitione, Ecclesiæ zelosum ac fidelem Mi-  
nistrum non dederint, quibus jus Eligendi aut Nominan-  
di competit, multis ostendit S. Chrysoſtomus *Lib. 1.  
De Sacerd. cap. 2.*

Ultremus, quamvis moderna Ecclesiæ disciplina nec  
populum, nec Clerum saltem inferiorem ad Electionem  
Episcoporum admitat, tamen illud semper verum ma-  
nebit, tam populi quam Cleri plurimum interesse, ut  
talis Pastor Ecclesiæ detur, qui Boni Pastoris qualitatibus  
sit instructus.

XIII. Et quia scimus, cor Regis esse in manu Dei, &  
quod à Summo Animarum Pastore dependeat, mittere o-  
perarios in messum suam, illud saltem Populo & Clero  
incumbit, ut precibus ad Deum suis Bonum Pastorem  
instanter ac humiliter petant.

Quapropter durante disciplinâ, quæ Electionem Cle-  
ro populoque deferebat, Visitator Electioni intendens  
universos monebat. „Magnopere studendum est, dile-  
„ ctissimi fratres, Deum suppliciter deprecari, ut talem in-  
„ ter vos, ad suum servitium aptum, & vobis profectuo-  
„ sum per suam magnam clementiam manifestare digne-  
„ tur. Ideoque admonemus, ut *iriduanam jejuniâ* ab omni-  
„ bus in ista Parochia commorantibus fieri jubeantur, &  
„ ut *eleemofina*, quantumcumque dare potuerit in suo  
„ maneat arbitrio. Simulque omnes unâ voce unâq; men-  
„ te omnipotentem Deum deprecemur, ut talis Dei fa-  
„ mulus, Deoque dignus, & bonis hominibus acceptus,  
„ ad illam Venerabilem Sedem Pontifex eligatur, qui  
„ postmodum nullo vitio, nullâ reprehensione arguatur:  
„ sed sit bonis moribus ornatus, & sanctâ conversatione  
„ suffultus, Sacrisque Litteris imbutus, & idoneus mini-  
„ ster esse possit ad perficiendum ea quæ ei commissa  
„ fuerint.

Eadem ratione, stante modernâ disciplinâ, Synodus  
Tridentina *Sess. 24. cap. 1. De reform.* statuit, „Ut, cum  
„ primùm Ecclesia vacaverit, Supplicationes ac Pre-  
„ ces publicè privatimque habeantur, atque à Capitulo  
„ per civitatem & Diocesim indicantur; quibus Clerus  
„ popu-

H

„populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare.“  
 XIV. Plurimum valebit ad excitandam populi devo-  
 tionem & fervorem, si animarum Directores frequenter  
 ac vivaciter populo exponant, quantum mali immineat  
 sibi, si pro Pastore bono mercenarius, aut etiam lupus

## TITULUS XIV.

### De Confirmatione Episcoporum.

#### CAPUT I.

Ad quem spectet Episcoporum Confirmatio.

- 1 Primitus ad Metropolitanum cum Episcopis Compro-  
 vincialibus spectavit.
- 2 Probatur ex Concilio Nicano & Laodicano.
- 3 Præcipua auctoritas erat penes Metropolitanum; & ad  
 hunc solum sensim devolutum est jus confirmandi.
- 4 Per 13. sæcula apud Metropolitanum permansit.
- 5 Per Reservationes Pontificias sæculo 14. ad Sedem A-  
 postolicam jus confirmandi devolvi cepit.
- 6 Etiam post sublatas Reservationes mansit jus confir-  
 mandi penes Pontificem.
- 7 Concordata Germanie illud Sedi Apostolica deferunt.
- 8 Item Concordata Gallie.
- 9 Similiter Indulta & Privilegia nominandi Episcopos  
 Regi Catholico aliisque Principibus concessa.

**L**ectionem Episcoporum multis sæculis, præsertim in Ecclesia Latina suffragio Cleri ac populi factam fuisse, supra ostendimus; unà quoque ibidem notavimus, non eam fuisse hujus electionis vim, sive auctoritatem, ut necessarii is esset Ordinandus, quem populus Ordinandum expetiisset; sed penes Metropolitanum cum Episcopis suffraganeis jus fuisse, electionem, electamque personam examinandi; utrum nimirum & illa Canonica esset; & hæc ad Ecclesiam regendam, & onus Episcopale sustinendum sufficiens: atque ulterius in potestate Metropolitanæ & Episcoporum fuisse, electionem probare, vel improbare; prout eam vel Canoniceam, aut minus Canoniceam judicarent. Hoc insuper notandum, quod nec per ejusmodi electionem, uti hodie, jus aliquod ad rem ipsi electo acquireretur, antequam per Metropolitanum, ac Episcopos Comprovinciales electio seu nominatio populi esset probata & admittitur; ipseque electus Ordinatus & in Cathedra collocatus.

II. Itaque Confirmatio & approbatio electionis sive nominationis primis Ecclesiæ sæculis omnimoda erat penes Episcopos Ordinatores, id est, Metropolitanum cum Suffraganeis juxta Canonem IV. Nicænum, quo decernitur: „Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui sunt in Provincia constitui, si autem sic hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem fieri, eorum autem que fiunt, Confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitanis fieri.“

Hoc Canone non de sola ordinatione sive consecratione agi, sed innotuit ipse consensus absentium in scriptis requisitus; qui ad Confirmationem sive approbationem electionis, nequaquam ad ipsam formalem ordinationem sive consecrationem aliquid conferre potest.

Unde Canone 12. Synodi Laodicæ edicitur, ut „Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum qui circum circa sunt Episcoporum provehantur ad Ecclesiasticam Dignitatem; id videlicet qui plurimo tempore

aliquis intret; quodque Deus interdum ob peccata populi permittat, ut non mercenarii dumtaxat, sed & lupi in ovile suum intrent, illudque tum suis malis exemplis & moribus, tum pervertis doctrinis devastent, ovesque spiritualiter occidant.

„probandur tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis exemplo.“

Metropolitano igitur cum vicinis, id est, Comprovincialibus Episcopis defert hæc Synodus, eodem quo Nicæna celebrata sæculo, constitutionem sive provisionem Episcoporum; idque indubiè ob approbationem & confirmationem electionis, quæ ab ipsis, secundum temporis illius disciplinam dependebat.

Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus & præses esset Metropolitanus; neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset, ad singulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim ex quodam ut minus tacito Ecclesiæ consensu ad Metropolitanum integrum plene devolutum est jus electionis discutendi, easque vel ut Canonice probandi, vel ut minus Canonice reprobandi.

Et quidem Nicæna Synodus hanc Metropolitanæ auctoritatem in Episcoporum ordinatione in relato Canone non obscure expressit his verbis: „Potestas sanctæ vel confirmatio pertinebit per singulas Provincias, ad Metropolitanum Episcopum.“ Gratianus *Dist. 64. can. 1.*

Et Canone 6. ait: „Illud generaliter clarum est: quod si quis præter sententiam Metropolitanæ fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiat, Episcopum esse non oportere.“ *Dist. 64. can. 8.*

Hinc illud Innocentii I. „Extra scientiam Metropolitanæ Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum.“ *Dist. 64. can. 5.*

Quin & si inter Electores circa personam eligendam sit dissensio, Metropolitanus est, eum ordinare, qui majoribus meritis juretur: Ita enim ad Anastasium Thessalonicensis scribit S. Leo: „Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus proponatur, quem Cleri, plebisque consensus, concorditer postulavit; ita, ut si in aliam fortè personam partium se vota dirigerint, Metropolitanæ judicio, is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juretur & meritis.“

Synodus VII. Can. 2. Metropolitanæ munus esse declarat, futurum Episcopum examinare, probareque, an sacræ scientiæ sit satis instructus.

IV. Hæc disciplina Metropolitanæ Confirmationem suorum Suffraganeorum attribuens per tredecim facillè sæcula inconcussa permansit; eamque & jus commune Decretalium Gregorii IX. aperte supponit, & confirmat; unde uno consensu tradunt Canonice, Episcopum de jure communi confirmandum esse à suo Metropolitano.

Unde Joanne Eckius, ille famosus Lutheri Antagonista *lib. 3. De primatu Petri cap. 40.* ait, ab antiquo constitutum, Episcopum quem libet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primatè, & Primatem à suo Patriarcha: miraturque quomodo contra jura (quæ plurima ibidem profert) suas Confirmationes Episcopi, præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim: „Quod jugum nescio quomodo Episcopi excusserunt, ut Confirmationem, saltem in Germania, omnes ex Roma petant. Forsan Viri magni & potentes, ac natalibus illustres, dedignantur confirmari ab humilibus generis Metropolitanis. Hoc autem de Confirma-

## Tit. XIV. De Confirmatione Episcoporum Cap. I. & II. 87

„tione per Metropolitanum faciendâ, constitutum fuit, in concilio Nicæno &c.“

V. Verum an hæc fuerit aliquando occasio quod Episcopi pro Confirmatione ad Sedem Apostolicam recurrerint, nescio; illud certius est, quod licet per Reservationes Pontificias, quæ potissimum à Joanne XXII. incrementum accepere, ad Sedem Apostolicam sæculo 14. provisiones sive nominationes fuere devolutæ; atque eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ; pariter jus confirmandi Episcopos Metropolitanis ademptum & Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Indignum quippe credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum designatus, à Metropolitano Confirmationem petere & accipere juberetur. Quid enim id aliud, quàm nominationem Pontificiam, Metropolitano judicio probandam vel improbandam subterficeret?

VI. Licet verò hæc Pontificiæ reservationes quoad Episcopatus & Prælaturas, sive per Concordata sive per indulta ac privilegia Regibus concessa quoad nominationes & electiones ad Cathedralis Ecclesias fuerint in multis restrictæ; scilicet reservando ipsis Capitulis Canonicas electiones, uti contigit per Concordata Germaniæ; vel jus nominandi Regibus ac Principibus indulgendo, tamen Confirmationes Romano Pontifici hæcenus reservatæ manserunt; nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

VII. Et quidem Concordata Germaniæ volunt, „quod in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis immediate non subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Canonice, quæ ad dictam Sedem deferantur; quas etiam, ait Pontifex Nicolaus V. ad tempus constitutionis felicis recordationis Nicolai Papæ III. quæ incipit *Cupientes*, expectabimus, & elapso dicto termino si non presentatæ, vel si presentatæ, minus Canonice fuerint, provisionem, & si Canonice fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, proviso quod confirmati prædicti, & per nos provisionem, Metropolitanis suis & aliis præstent debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur.“

VIII. Concordata similitè inter Leonem X. & Francisum I. Regem Franciæ habent, ut Rex Virum gravem qualitibus ibidem expressis instructum, & aliàs idoneum infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ nominabit, & de persona per Regem hujusmodi nominata per Romanos Pontifices, seu Sedem prædictam providebitur.

Itaque etiam vi horum Concordatorum requiritur Papæ provisio: „Alioquin si à Rege nominatus (inquit Regibus *De Regia ad Prælaturas nominationes*, verbo *Provideri*) receperit fructus Episcopatus ante Papæ provisionem, amittit jus nominationis & dicitur intrusus.“

IX. Indulta quoque ac privilegia, quibus Romani Pontifices Regibus Hispaniæ & Principibus nostris jus nominandi ad Cathedralis Ecclesias indulserunt, Confirmationem sive Provisionem Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ reservant; nec alteri, quàm Sedi Apostolicæ personam à Rege præsentari volunt.

#### CAPUT II.


Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.

- 1 Confirmatio merito applicatur illud Apostoli: Manus cito nemini imponere?
- 2 Quid sit manus cito imponere?
- 3 Confirmatio danda est prævia diligenti examine.
- 4 Ante Confirmationem citandi, qui electioni se volunt opponere; & quomodo?
- 5 Informatio accipiendâ etiam circa personam electam.
- 6 Informatio faciendâ in loco in quo Electus solus fuit conversari.

Van Espen *Jus Eccles. P. 1.*

7 Quam sic ite inquiserit circa personam electam ante Confirmationem S. Gregorius?

8 Exactum fuisse institutum examen sæculo novo in hisce Provinciis ostenditur.

**I.**  Um is qui confirmat electum vel nominatum, eundem instituat; ac proprie Ecclesiæ Pastorem provideat & constituat, merito Innocentius III. in *Cap. 19. De Elect.* confirmanti applicat illud

Apostoli ad Timotheum: *Manus cito nemini imponeris, neque communicaveris peccatis alienis. 1. ad Tim. 5. 22.*

II. „Quid verò est (ait S. Leo *Epist. 1. c. 2.*) cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis.“ Gratianus *Dist. 78. Can. 3.*

III. Merito ergo jam pridem Sacris Canonibus cautum fuit, ne Metropolitanæ aliique Prælati, quibus jus confirmandi seu probandi electiones aut nominationes ad Ministeria Ecclesiastica præsertim Episcopatus competit, præcipitanter sine prævio maturo ac diligenti examine & informatione ad Confirmationem proficiant. Hos renovans Concilium Lateranense sub Innocentio III. „irrefragabili constitutione sancivit, quatenus cum quicumque ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & personam electi: ut cum omnia iudice concurrerint, munus ei Confirmationis impendatur: quia si secus fuerit incaute præsumptum, non solum de jure endus est indignè promotus, verum etiam indignè promovens puniendus. Ipsum quoque decernimus hac advertisemente puniri: ut cum de ipsius confiteri negligentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbaverit: non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, verum etiam (ne aliquo casu peccatum effugiat) à perceptione proprii beneficii suspendatur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc peccata litterarum excessisse, graviiori subiacet ultioni.“ *Cap. 44. De Elect.*

IV. Si electus coelectum aut specialem suæ electionis adversarium habeat, is ante Confirmationem nominatum vocandus erit; aliàs ubi concursus fuit electio, aut nullus nominatum se electioni opponit, generale ac peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua electio facta est: ut si quis fuerit, qui se volunt, opponere, constituto termino veniant. *Cap. fin. de elect. in VI.* ubi & Confirmationes hæc non observatis factæ, declarantur viribus omnino carere, irritæ & inanes.

V. Examen, seu informationem esse faciendam, non tantum circa electionis processum, sed etiam personam electi, declarat citatum Lateranensis Concilii sub Innocentio III. Decretum. Et quidem quod tria præcipue inquirenda sint in persona electi, videlicet, ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens, scribit idem Innocentius Archiepiscopo & Capitulo Capuano in *c. 19. De Elect. in INTEGRA.*

VI. Quia verò vita cujusque exactius nosci potest in loco in quo quis diu conversatus fuit, ibidem inquirendum est de moribus electi, *c. 3. de elect.* quod sub nomine Gregorii III. retulit Raymund. ar. ut rectè notavit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium, fragmentum est, licet truncatum, & in nonnullis immutatatum, *ep. 18. lib. 8. S. Gregorii* ad Anthemium Subdicatum Campaniæ; ex qua apparebit, quàm fuerit hic S. Pontifex sollicitus, ut accuratè de vita moribusque electi esset instructus, priusquàm electionem suo assensu probaret, atque unà intelligatur, quàm utile sit ad intellectum Subdicatum, recurrere ad fontes è quibus sua Raymund. aut alii Decretalium collatores hauserunt: uti laudis in tractatu

H 2

Histo.